



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eiusdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpurga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

Capvt Qvintvm. De Aureatensibus Episcopis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

superavit, qui in celebrandis sanctis Virginibus valde parcus & restrictus esse solet.

## CAPVT QVINTVM.

*De Aureatensibus Episcopis.*

**E**YCHSTADIANI Antistites crebrò etiam *Aureatenses* appellantur; vel quia à multis creditum est Aichstadium esse vetus *Aureatum*; vel quia totus ille tractus, qui est à Nassenfelsio, veteri *Aureato*, *Aureatensis*, à primaria vrbe olim nuncupabatur. Quo in Tractu cum Episcopi Eystettenses domicilium habeant, & resideant, iure etiam *Aureatenses* audiunt: Quod Conrado Celtæ & Irenico placuisse videtur.

Nec est quod quis dicat; Aureati fuisse Episcopos ante euerfionem vrbis, & multis annis ante S. Bonifacij & S. Willibaldi in eas oras aduentum; nam hoc iam alibi reiecimus, nec vllò vel in speciem verissimi argumento demonstrari potest. vt nec illud Pantaleonis plasma, ad Arcem Nassenfelsiam à S. Willibaldo Monasteriolum, cui nomen *Aureato*, exstructum fuisse, & inde Episcopis *Aureatensis* appellationem fluxisse.

Illud tamen exploratum est, vicinum Neoburgum ad Danubium suos Episcopos habuisse, vsque ad annum Redemptoris DCC. LXXII. quo *Manno* Ecclesiæ Neuburgensi præerat; & in Concilio Dingolfingensi primas inter omnes præsules tenebat. Hic tamen Episcopatus postea desit; nam post *Mannonem* nulla vllius Neoburgensis Episcopi mentio exstat, & Diœcesis magna pars Augustanæ Vindelicæ coniun-

coniun-



coniuncta & inserta est, vt ait Marcus Velferus lib. 5. rerum Boicarum. Rectè dicit: *Magna pars*, nam quæ ex nostra parte Danubij, sita sunt, Eychstadiano Episcopatu cessisse videntur, quæ diuisio etiam numeratur; nam ipsum Neoburgum, & quæ nobis trans Danubium sunt, ad Augustanum Episcopatum spectant, Reliqua ad Eychstadianum, nisi quod iuxta Ingolstadium pagus, trans Danubium, cui à Salvatore nomen est, cum aliquot adiunctis, sub Diocesi Eystettensi censetur.

Meminit quoq; Episcopatus Neoburgici Auentinus lib. 2. Annalium Boicorum, & lib. 3. vbi huius Ecclesiæ Episcopum nominat *Beichterbum*. Causam dissoluendo Episcopatu Neoburgico dedisse videtur nouus iamq; emergens Episcopatus Eystettensis, nam quo tempore Manno Dingelisingensi Synodo intererat, iam S. Willibaldus aliquot annis nouam cathedram Eystettensem, Neoburgicæ vicinissimam, rexerat. Haftenus de Aureato.



LECTIO

Index